

stratio compendiosa, dari in Hollandia e Clero Nouatores, ac imprimis Jansenistas. Scripta est, ut in calce liquet, anno 1690. ab itaque in II. Sectiones, quarum Argumenta, ut fol. 33. recolliguntur, hic adscribam. Argumenta prioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui adferunt dogmata noua. 2°. qui utuntur Scriptura noua. 3°. qui inuehunt Catechismos nouos. 4°. qui administrant Sacramentum poenitentiae iuxta methodum nouam. 5°. qui administrant Sacramenta ritu nouo. 6°. qui creant passim commotiones nouas. Argumenta posterioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui dogmata tenent cum Jansenio communia. 2°. qui fabricant interpretationes subdolas, ut Jansenii doctrinas censuris subducant. 3°. qui Formula pontificiae pro exjurando Jansenismo subscribere detrectant. 4°. qui ducem sequuntur Jansenistarum principem Arnaldum. 5°. qui non nisi merum phantasma asserunt esse Jansenismum. 6°. qui Louanii a Jansenistis Professoribus jansenistice tincti sunt. Multa in his singularia et curiosa ad famosas illas turbas. Additur sub finem Elenchus praecipuorum librorum, qui a Theologis Hollandis de grege Jansenistarum nuper editi, ac praecipue per Hollandiam sparsi sunt. Sunt vero sequentes: De Catholyke Ouerwinnende Waerbeydt Caroli de Bont, et Algemeen Afbeeltzel &c. Ignat. Eykenboom. 1684. Reghtmaetigh Onderfcheyd des Catholyken Geloofs Car. de Bont. 1684. Beschermingh van de Ro-

omsche Kerck autore B. P. 1686. Kort begryp van de christelyke Leer, nopende de Verkiefingh en Genade Gods autore G. L. M. 1688. Gods woord verdedicht f. Aut. 1685. Beweirde Vrybeyd aut. A. A. P. L. D. G. Nova Versio Flandrica IV. Evangeliorum f. Aut. 1689. Christelycke Ouerwegingen aut. G. B. 1687. Christelyke Onderwysingen en Gebeden f. Aut. 1685. Kort bondigh bewys van dat 'er in Holland geen Secte van Jansenisten is aut. C. O. C. 1688. Het Geschrift van onsen allerbeyligsten Vader Clemens VIII. f. Aut. 1689. Brevis Tractatus de Indulgentiis et Jubileo Hugonis Fr. van Huisen 1690. In singulos hos Libellos virga censoria animadvertitur.

DCXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. X. H. 20 VII. Folior. 42. 4. hunc Titulum praefert: *De Pace Religionis M. Antonii de Dominis Archiep. Spalatensis Epistola ad venerabilem virum Josephum Hallum Archipresbiterum Wigorniensis. In qua sui etiam ex Anglia proximi discessus idem Author rationem reddit: Quaestita quoque Regia sibi discessuro facta, suasque ad ea responsiones refert, Et ab ipso Hallo increpationes acceptas rejicit. Qui pacis inuenit consilia, sequitur eos gaudium. Prov. 12. 20. Ita Pacem Ecclesiae nunc obtendit Vir leuior cortice et suo iracundior Hadriani prius alia longe in Romam Londini debacchatus. Agit de illo,*

tragicoque ejus fine praeter Scriptores in *Lexico Joerber. et Univ. excitatos Dan. Farlatus Illyrici sacri T. III. Venet. 1765. p. 481. f.* et *Alex. Horanius in Mem. Hungar. et Provinc. P. I. Vien. 1775. p. 527. 8.* qui gnaviter Jesuitam fuisse repetit, nihil tamen de ejus ab hoc Sodalitio discessu memorat. *Josephi Halli Exoniensis* postea, tum *Nordovicensis* Episcopi Epistolam, quae nostram provocavit, impressam habes inter *Clar. Viror. Epistolas a P. Colomesio lectas et ad calcem Epistolar. II. S. Clementis editas Lond. 1687. p. 321. 8.* Fugeritne *Colomesium* Responsum nostrum, an in scrinio premendum censuerit, incertum. Lucem sane non minus merebatur, quam alterum *M. Antonii* Scriptum, quo *sui redditus ex Anglia Consilium exponit, quod typis cum Romanis, tum Moguntinis 1623. 4.* proffat, infigne magis doctrinae dubites, an inconstantiae argumentum. Ita vero ingreditur: *Oratio tua paraenctica, Vir clarissime, seu potius increpatoria ad me nuper (1622. 20. Febr. stilo vet.) scripta, si dictionem spectem, diserta quidem, et leporum plena; si dicentis animum, pia; si zelum scribentis, fervens, imo tota ardor, tota flamma, voluptati mihi fuit; neque possum bis eam nominibus non acceptissimam habere, et plurimum commendare, tibi que gratias agere: Si tamen res ipsas in ea a te tam facunde, tam pie, tam ardentem consideratas inspicio (liceat mihi quaeso pari animi candore, pari calami*

*libertate tecum agere) eloquentiam video in argumento inutili impensam, pietatem, ubi ei locus non erat, exercitam, ardorem absque ulla aut occasione, aut opportunitate incensum: zelum vero et æmulationem Dei, sed non secundum scientiam debita cum discretionem non fuisse moderatam. Atque hinc differere incipit: Adventum in Angliam non finem, sed medium sibi semper fuisse ad exequendum quadruplex consilium: 1) ut plene causas dissensionum et schismatum cognosceret, 2) ut scriptioni liberae liberum haberet locum, 3) ut unionis et concordiae rationes observaret, 4) ut Regis (Jacobi I.) sapientia aliquamdiu perfrueretur, eique, si vellet, inserviret. Finem primum et alterum a se obtentum fuisse, in tertio a Puritanis se penitus impeditum, nec quartum, nisi ex parte, adsecutum. Haec multis, et ad res Hominis cognoscendas peropportune. Insuper post illa Epistolam italicam a se ad Hispanum in Aula Brit. Legatum *Did. de Gondomar 9. Febr. stilo novo 1622. datam, qua favores ejus pro suo Romam reditu expetit, Cautelas 4. quas circa Catholicos in Anglia mitius habendos suadet, idque e Capitibus 6. ad quae examinanda Hallum et Puritanos provocat, et duplicem Juramenti Fidelitatis in Anglia Formulam, quarum posterior sub verbis moderatioribus. Deinde omnia inter se Regemque jam anno praecedente in causa Religionis acta, scriptaque cum Hallo communicat, Epistolam hujus supra memoratam integram**

1493

P O L E M I C I.

1494

tegram recitat, suas, ut vocat, breves observationes subdens, in quibus Lutherum et Calvinum acriter perstringit, et demum ita concludit: *Ego interim et Britanniam me vidisse, et Britanniam deseruisse exultabo: quia ex visa Britannia in multis Catholicis veritatibus sum confirmatus, et ex ipsius desertione magno me animae periculo liberandum esse divinae gratiae tribuam: Sed neque deero quoad vixero pro unione et concordia laborare, et (ut) omnes ex aequo a periculis, Deo opitulante, liberemur. Faxit Deus! Londini ex domo Sauoyensi die 1. Mar. stylo veteri a natiuitate. 1622. Tui amantissimus M. Ant. de Dominis Archiep. Spalatensis.* Occurrunt in hoc ἀπογραφή menda, non difficulter tamen tollenda. Ita in Halli Epistola mortuis Laureoticis pro notis Loyoliticis. Plurimum laborat Epistola ad Gondomarium italica. Ceterum, ut jam monui, ad retractandas infelicis M. Antonii res animum adiecturo non negligendum foret Συναγμα istud; rectius enim multa de eo inde statui possunt, quam quidem a Scriptoribus, praecipue Protestantibus, feruntur.

DCXLIV.

H 8 Codex chartaceus ital. Sec. XVIII. Folior. 68. 4. ἀπογραφος ex impresso hunc Titulum praefert: *Le Prime Nove Dell' altro Mondo, cioè L' Admirabile Historia et non meno necessaria & utile da esser letta & intesa de ogni uno che stupenda intitulata La*

Vergine Venetiana Parte vista, parte provata, & fidelissimamente scritta per Gulielmo Postello primogenito della Restituzione, & spirituale padre di essa Vergine. Additur: *Jeremiae 31. Creavit Dominus Ibovah novum super terram. Appresso del Auttore 1555.* Indicem Scriptorum, qui de *Guil. Postello Normanno Barentoniense* homine non ab ingenio et eruditione magis, quam a deliriis famoso tractaverunt, offerunt *Niceronus T. VIII. p. 356.* et *Joecherus in Lex. Eruditt.* Quaedam ab eo *Viennae* acta curatius excussi in *Hist. Typogr. Vien. P. II. p. 518.* Praefenti Opusculo, quod duplici Prooemio et XIV. Capitibus constat, exequitur Historiam Visionum et Doctrinae Mulieris in limite Agri *Patavini et Veronensis* circa an. 1496. natae, *Johannae* nomine, quae *Patavii* primum, tum *Venetis* in Hospitali quodam aegrotis inferviebat, seque in *Postelli* disciplinam dederat. Operae pretium non est, immorari fatuis commentis, quibus se mutuo fallebant Magister hic et haec Discipula. Praecipua inde Capita exhibuit *Niceronus* p. 348. qui dubitabat, an praeter Exemplum a se inter *Κεμπλια* literaria *Bozii Parisii* tractatum aliud typis excusum in *Europa* superesset. Sed adfertur in *Catal. Bibl. Uffenbach.* p. 767. et e *Bibl. Dresdensi* recensetur in *Memorab. Goetzij T. II. p. 438.* quo Lectorem remitto, duo notare contentus: primo, distinguendum esse Libellum nostrum a gallico ejusdem *Postelli* inscripto: *Les*

A a 3

Les